



Q. D. B. V.

§. I.

**P**

Etrus, vt demonstraret, passionem & mortem CHRISTI fuisse voluntariam, seu sponte susceptam, neque casu aut forte fortuna, sed ex æterno S. S. Trinitatis consilio atque præscientia Dei, CHRISTVM ESSE TRADITVM AD MORTEM CRVCIS, apud Lucam, Act. II, 23, Judæos, tum quidem temporis ipsi præsentis, ita alloquebatur: *Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον, τῇ ὠρισμένῃ βελῆ καὶ προγνώσει τῆ Θεῶ ἐκδοσεν, λαβόντες διὰ χειρῶν ἀνόμων, προσπήξαντες ἀνείδεσε, Jesum Nazarenum, definito consilio & præscientia Dei traditum, cum accepissetis per manus iniquas (Judæ sc. proditoris, Herodis, Pontii Pilati & militum Act. IV, 27) cruci affigentes, interfecistis.* Sic enim rectius hujus oraculi commata distinguuntur, quam secundum BEZAM, qui, in Not. ad h. l., post vocabulum *λαβόντες* distinctionem interponit, referens verba illa, *διὰ χειρῶν ἀνόμων* ad ipsum populum illum Israeliticum, quem Petrus compellabat, quod videtur aduersari capiti Act. III, 17, & toti placidæ admodum orationi ipsius Apostoli, magnoque consensui optimorum Codicum. Etsi vero sunt hæc verba Petri multo clarissima, ostenduntque & exponunt potissimum hæc tria:

I) Illum, qui traditus est ad mortem crucis, hoc est ipsum Seruatorem, qui h. l. Jesus Nazarenus dicitur, & *τοῖς ἐκδόσις* annumeratur, hoc est, illis, qui traduntur hostibus, eadem significandi ratione, qua alias, Matth. XVII, 22, XX, 18, *παραδοθεῖς* vocatur.

II) *τὴν ὠρισμένην βελὴν καὶ πρόγνωσιν τῆ Θεῶ*, definitum Dei consilium, & præscientiam eius, secundum quam *traditus Christus* est ad